UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Generalis Totivs Sacri Ordinis Clericorvm Canonicorvm Historia Tripartita

Pennotto, Gabriele

Coloniae, Anno M.DC.XXXXV.

XLI. Summorum nonnullorum Pontificum literæ ad Priorem, & Canonicos S. Frigdiani, vel eorum causæ ad alias personas datæ referuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38634

Visual Library

tione diuinorum impedire quouis prætextu, & cauſa, vel occaſione, etiam antiquiſſimæ conſuetudinis &c.

X. ALia ſunt priuilegia peculiaribus locis, & membris dicti monaſterij ſeu congregationis S. Frigdiani cõceſſa, præſertim monaſterijs S. Martini Senarum, S. Bartholomæi de Scalocchio Vulterranæ diœceſis, S. Saluatoris Ferrarienſis &c. quæ omitto, quoniam ad alios tranſierunt.

Porrò vigore dictorum priuilegiorum, & aliorum, & conſuetudinis antiquæ Prior S. Frigdiani in ſua parochia ordinariam iuriſdictionem exercebat, quod probant proceſſus authentici per dictum Priorem in cauſis matrimonialibus formati, & ſententiæ ab eodem latæ, quas Sedes Apoſtolica tanquam à Iudice legitimo, & competenti latas probauit: de qua re ſunt ſcripturæ authenticæ in pergameno, anno 1258. rogatæ, in Archiuo Pacis Romæ, quas vidi. rurſus vigore prædictorum priuilegiorum, & ex antiqua conſuetudine, ac etiam decreto Leonis X. in bulla vnionis Prior S. Frigdiani publicè in Eccleſia, vel Eccleſijs ſibi ſubiectis incedit in habitu Epiſcopali, cum cappa ſcilicet Epiſcopali, & annulo, & in feſtis diebus miſſas in Pontificalibus celebrat, & populo ſolemniter benedicit, idque ad libitum, cum nullus dies particularis eidem ſit præſcriptus. Cumque de anno 1595. Lucenſis Epiſcopus prædictum habitum eidem auferre ſtuduiſſet, illuſtriſſimi Cardinales S. Congregationis ſuper negotijs S. Rituum, viſis literis eiuſdem Leonis X. & de antiqua conſuetudine certiores facti, eidem Epiſcopo ſilentiũ impoſuerunt, prout conſtat ex literis per ſacram congregationem eidem Epiſcopo directis die 17. Ianuarij 1595. ac etiam ex decreto eiuſdem Sacræ Congregationis anno 1618. die 18. Auguſti ſub hac forma verborum ſic emanato: *Priorem S. Frigdiani Lucenſis Congregationis Lateranenſis prædictum poſſe vti Cappa Epiſcopali, cum Cappucio iuxta priuilegium fœlicis recordationis Leonis Papæ X. coloris tamen nigri, cenſuit Sacrorum Rituum Congregatio die ſabbathi 18. Auguſti 1618.*

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Summorum nonnullorum Pontificum literæ ad Priorem, & Canonicos S. Frigdiani, vel eorum cauſa ad alias perſonas datæ per ſummam referũtur.

I. PRæter ſupradicta Romanorũ Pontificum priuilegia, & alia Imperatorum, Regum, & Principum memorato S. Frigdiani monaſterio conceſſa, quę breuitati conſulentes omittimus, reperitur in eodem monaſterio liber vetuſtus membranaceus, in quo Epiſtolæ Romanorum Pontificum circiter ſeptuaginta deſcriptæ leguntur, vel ad Priores, & canonicos S. Frigdiani, vel eorũ intuitu ad Epiſcopos Lucenſes, & alios datæ: quę quoniam non ſolum ad dicti monaſterij, verum etiam ad totius Ordinis canonici dignitatem oſtendendam magnoperè conducunt, illas ſaltem per ſummam, ſiue compendium hic ſubnectere decreui. harum Prima eſt Paſchalis Secundi, quæ Rothoni Præpoſito, & eius Fratribus dirigitur, in qua inter alia hæc habet: *Qui vos pro B. Petri patrocinio perſequuntur, non vos, ſed Romanam Eccleſiam perſequuntur.*

Secunda eiuſdem Ioanni Caſtellanæ ciuitatis Epiſcopo, & illius canonicis directa, in qua Rothonem S. Frigdiani Priorem vocat Venerabilẽ fratrem, & dictę Caſtellanæ Eccleſiæ Viſitatorem conſtituit, præcipiens, in diſpoſitione vitæ canonicæ illi tanquam ſibi obediri: nam illa Eccleſia tunc erat regularis.

3. Eiuſdem Rothoni Priori, qua teſtatur, ſe Lucano Epiſcopo ſcripſiſſe, ac etiam per Epiſcopum Reginum illum rogaſſe, vt erga S. Frigdiani canonicos tam in ordinibus, quam in alijs mitius ageret. meminit Eccleſiæ S. Floridi Caſtellanæ, per ſe, & ſuos viſitandæ.

4. Eidem Rothoni, qua de illius negligentia in Eccleſia S. Floridi viſitanda, & reformanda conqueritur.

5. Parochianis S. Frigdiani, qua de donis Eccleſiæ S. Frigdiani collatis, & obedientia illius canonicis exhibita gratias agit, & bona ſpiritualia eiſdem precatur.

6. Canonicis S. Martini, in qua de iniurijs canonicis S. Frigdiani irrogatis grauiter queritur, quas proprias reputat, ſubdens: *Licet graue, & intolerabile nobis viſum fuerit: tamen quia prædicti Fratres nos pro vobis rogauerunt, & pacem vobiſcum ſe habere dixerunt, hoc totum vobis condonamus.*

7. Rothoni Priori, & Fratribus cæteris, in qua oſtendit vitæ regularis inſtitutum in primitiua Eccleſia ortum habuiſſe ab Apoſtolis, & hoc inſtitutum à D. Auguſtino ſuis regulis informatũ, & Deo largiente à prædictis Fratribus ſuſceptum per voti emiſſionem, non poſſe ſine reatu præuaricationis dimitti, quod declarat exemplo vxoris Lothi, & ideo approbat excommunicationem per eos latam in quendam, qui poſt factam profeſſionem relinquens ſuſceptam vitam è clauſtro diſceſſerat.

8. Lucano Epiſcopo, queritur grauiter, quod S. Frigdiani canonicos, viros religioſos, ſuſceptos ſub protectione Sedis Apoſtolicæ inquietari permittat. meminit Capellæ S. Michaelis ad ius ſancti Frigdiani ſpectantis, quam à quodam ipſius Epiſcopi plebano indebitè deſtructam præcipit intra certum tempus reædificari, & conſecrari.

9. Eidem Epiſcopo, & canonicis S. Martini, per quam de beneuolentia, & pace cum canonicis S. Frigdiani plurimum gaudet, ſubdens: *Quod enim illis impendiſtis, vobis ipſis tribuiſtis; veſtri enim filij, & fratres ſunt, & illorum bonum veſtrum eſt, ſi veſtra charitate fouentur.*

10. Ad dilectos filios S. Frigdiani canonicos, qua teſtatur, illorum bonam famam non ſolum in Tuſcia, ſed etiam in vlterioribus partibus diuulgatam. Monẽs, vt quò ditiores in bonis temporalibus à Deo ſibi miniſtratis inueniuntur, eo ſint humiliores, & Deo ſeruiendo promptiores: *Nemo enim*, inquit, *adeò bonus eſt, qui non poſſit per Dei gratiam, quandiu in mundo viuitur, ad meliora, proficere.*

11. Canonicis Lucanæ Eccleſiæ, qua illis plurimum gaudet: *Quandoquidem, inquit, in parochia veſtra (ſcilicet in Eccleſia S. Frigdiani) illa conuerſationis Apoſtolicæ primordia reſloruere.* Hinc eoſdem ad beneuolentiam, & honorem erga dictos S. Frigdiani canonicos hortatur, & vt eis nullam moleſtiam inferant, nec per alios illatam ſuſtineant: *Quod enim*, inquit, *honoris, & reuerentiæ illis impendiſtis, nobis adſcribimus.* Prohibet inſuper excommunicare parochianos S. Frigdiani, vel excommunicatos abſoluere præter canonicorum S. Frigdiani voluntatem. meminit Conuerſi fugitiui excõmunicati, & per Lucanum Archipresbyterum abſoluti, de quo ſic ait: *In Apoſtaſia enim permanens, dum abſolui creditur, amplius ligatus eſt.*

12. Epiſcopo Lucano, qua illi religioſos viros canonicos S. Frigdiani commendat, vt diligat, adiuuet, honoret, & defendat.

13. Parochianis S. Frigdiani, quos tanquam benefactores canonicorum laudat, & in operibus charitatis perſeuerantes eſſe iubet.

14. Priori, & Fratribus S. Frigdiani, qua oppreſſos, & afflictos ad patientiam hortatur, & monet tum autoritate, tum ratione cum quodã ſacrilego, & Eccleſiarum raptore, pauperumque oppreſſore non debere vllo modo communicare.

15. Dilecto filio Priori S. Frigdiani, ſignificans illius ſe aduentum deſiderare, mandanſque, vt quam primum ad ſe proficiſcatur, & cauſam dilationis reddat.

16. Dilectis filijs canonicis S. Frigdiani, qua illorum conſilium laudat de duobus Fratribus ad Priorem miſſis, vtpotè ſymbolo perfectæ charitatis: quos tamen reprehendit, quod Priorem apud Pontificem commorantem reducere curabant, vel alium eligendi facultatem quærebant: *Quia*, inquit, *Prior veſter quaſi nobiſcum ſit, à vobis tamen non receſſit.*

17. Ad dilectos, filios canonicos ſeu laicos, qua miris modis extollit charitatem, ad quam illos hortatur.

18. Priori S. Frigdiani, qua ſignificat, optare ſe ſcandala reſecari, & de emergentibus admoneri: *Quia, inquit, nos per nos ipſos vbique eſſe, aut omnia proprijs oculis cernere non valemus*. commendat ſeipſum orationibus Prioris.

19. Parochianis S. Frigdiani, qua decimas, & oblationes præfatæ Eccleſiæ ſubtrahentes damnat, præcipiens ablata reſtituere, & ad ſatisfactionem debita humilitate peruenire: declarat, ratum ſe habiturum ſententiam per Priorem, & canonicos in eos latam.

20. Gelaſij II. Priori, & Fratribus S. Frigdiani directa, qua Priorem Eccleſiæ Lateranenſis illis commendat: *Quatenus*, inquit, *domus veſtra cum Lateranenſi cooperante Domino in dilectione, & ſanctitatis ſemper vnitate permaneat.* ſeipſum deniq; & labores ſuos illorum orationibus committit. II.

21. Caliſti II. ad Clerum, & Populum Lucenſem rogat, & præcipit, vt S. Frigdiani Fratres vexari ab aliquibus non permittant.

22. Eiuſdem, Priori, & Fratribus S. Frigdiani, qua illis ſuum conſilium, & fratrum ſuorum Epiſcoporum, & Cardinalium de canonicis regularibus ad Eccleſiam Lateranenſem reducendis, in qua olim poſiti fuerant, manifeſtat, quia poſt obitum Paſchalis II. perſecutione cogente loco ceſſerant, & pro huiuſmodi reductione auxilium & fauorem dicti Prioris poſtulat.

23. Eiuſdem, Priori, & Fratribus S. Frigdiani meminit cuiuſdam canonici, nomine Blaſij, ex Eccleſia Lateranenſi ad illos miſſi, quem Pontifex illis commendat.

24. Eiuſdem ad prædictos Priorem, & Fratres in qua meminit Vrſi Prioris Lateranenſis, qui mala valetudine grauatus de licentia Pontificis ad illos redibat, quem illis cupit fore commendatum. Iubet tres de Fratribus ad ſe mittere, quorum vnus nouerit alijs præeſſe: alij vero cæteros Fratres dulci moralitate & religione ſtudeant reformare.

25. Honorij II. ad canonicos S. Frigdiani. Poſtulat de prædictis, ſiue de commorantibus in illorum obedientijs aliquem mitti, qui regat Eccleſiam Lateranenſem, mandans vocatum ad hoc munus abſque reſiſtentia obedire. nam Prior, & Fratres Sancti Frigdiani hoc onus recuſabant. III.

26. Eiuſdem Honorij ad Priorem, & Fratres prædictos. meminit cuiuſdam ſententiæ latæ ab Epiſcopo Lucenſi inter Eccleſiam S. Frigdiani, & Hoſpitale Altipaſſus, pro ſylua de Colle Sacci, quam laudat.

27. Eiuſdem Honorij ad eoſdem, quos ad perſeuerãtiam in bonis operibus hortatur, & poſtulat eorum orationibus adiuuari.

28. Eiuſdem Honorij ad Clerum, Conſules, & populum Piſtorienſem, in qua meminit Eccleſiæ S. Petri per Piſtorienſem Epiſcopum conſtructæ, necnon Religioſorum, quos Epiſcopus pro ſeruitio eiuſdem Eccleſiæ in illa cõſtituerat;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mandans ad opus perficiendum opem, & conſilium præbere.

29. Eiuſdem Honorij vniuerſis S. Frigdiani parochianis, quibus gratias agit pro beneuolentia erga Priorem, & Fratres; rogans, ne declinent ab illorum dilectione.

30. Eiuſdem Honorij ad Epiſcopum Lucenſem, qua illi commendat Priorem, & Eccleſiam S. Frigdiani, ſubdens: *Idem enim locus ſpecialiter ſub B. Petri tutela, & protectione conſiſtit: & nos deeſſe ei nec poſſumus, nec debemus.*

31. Eiuſdem Honorij ad Epiſcopum, & canonicos Eccleſiæ Lucenſis, qua illis commendat Priorem, & Eccleſiam S. Frigdiani, vt illis concedatur, in die Paſchæ miſſam ſolẽniter celebrare, & idem Prior eodem die, & duobus ſequentibus cum vno aut duobus Fratribus ſuſcipiatur cum illis ad celebrandum diuina officia. mandat controuerſiam ortam inter canonicos S. Frigdiani, & S. Angeli per Epiſcopum terminari.

IV. 32. INnocentij II. ad Priorem, & Fratres S. Frigdiani meminit perſecutionis Petri Leonis contra illum excitatæ. quærit illorum orationibus adiuuari: *Quatenus*, inquit, *nauem Petri, quæ modo inter procellas fluctuat, ad portum ſalutis profuſis precibus reducatis.*

33. Eiuſdem Innocentij ad vniuerſos Clericos, & Laicos ciuitatis Lucenſis. in qua oſtendit, Eccleſiam S. Frigdiani ſimul, & Fratres in ſumma veneratione haberi, etiam apud vniuerſas exteras nationes, quam Eccleſiam commendat prędictæ Vniuerſitati, præſertim quoad hoſpitalitatem.

34. Eiuſdem Innocentij ad Priorem S. Frigdiani, qua decernit, vt ſi qui fuerint in ſua parochia criminoſi, Prior adeat Epiſcopum, vel Archipresbyterum, vt ſecundum Cenſuram Eccleſiaſticam pœnitentiam eis iniungat. quod ſi noluerint, Prior autoritate Apoſtolica illis pœnitẽtiam iniungat.

35. Eiuſdem Innocentij ad Epiſcopum, & canonicos Lucenſes. mandat, vt Fratribus S. Frigdiani contra monachos S. Georgij, contemnentes interdictum Apoſtolicum iuſtitiã faciat, quos excommunicationi ſupponit.

36. Eiuſdem Innocentij ad Archidiaconum, & Archipresbyterum Lucenſes. meminit donationis à ſe factæ Priori. & fratribus S. Frigdiani de Eccleſia S. Pantaleonis. mandat prædictis, ne ſuper huiuſmodi conceſſione aliquam moleſtiam per ſe, vel per alios illis inferre audeant.

37. Eiuſdem Innocentij ad quoſdam canonicos S. Martini. eſt eiuſdem tenoris, et præcedens, quidam enim canonici dictæ donationi reluctabantur.

38. Eiuſdem Innocentij ad Archidiaconũ, & Archipresbyterum Lucenſes, qua mandat nonnullos canonicos S. Martini dictæ donationi reſiſtentes, ſi non deſtiterint, ab officijs ſuſpendere.

39. Eiuſdem Innocentij ad prædictos. mãdat, vt non patiantur vllam inferri moleſtiam Priori, & Fratribus S. Frigdiani occaſione iuramentorum, quæ potius in perniciem, quàm in ſalutem Eccleſiæ S. Pantaleonis facta eſſe dicebantur.

40. Eiuſdem Innocentij Plebano de Maſſa, & vniuerſis Capellanis dictæ plebis, quibus notificat donationem factam de prædicta Eccleſia S. Pantaleonis. mandans, admoneri populum, ne aliquam moleſtiam Priori, & Fratribus S. Frigdiani pro tali donatione inferre audeant, & contra facientes tanquam excommunicatos caueri, donec reſipiſcant.

41. Eiuſdem Innocentij ad Conſules Lucenſes, cum quibus queritur, quod permitterẽt prædictos Priorem, & Fratres S. Frigdiani moleſtari occaſione prædictæ donationis: mandans, ne in poſterum id amplius permittant, ſed potius eiſdem Priori, & Fratribus auxilium præſtent.

42. Eiuſdem Innocentij Capellano Eccleſiæ S. Laurentij, cui mandat Priori, & Fratribus S. Frigdiani obedire, vtpote quibus ab ipſo Eccleſia S. Pantaleonis fuerit commiſſa.

43. Eiuſdem Innocentij ad nonnullos Presbyteros, quibus præcipit obſeruare iniuncta, ratione præfatæ donationis: nec manere in dicta Eccleſia, ſiue in aliquo loco ad eam pertinente, abſque prædictorum Prioris, & Fratrum licentia, ſub pœna interdicti contra facientibus.

44. Priori, & Fratribus prædictis, qua oſtẽdit moleſtè accepiſſe vexationem, quam paſſi fuerant, pro dicta Eccleſia S. Pantaleonis, ſubdens ſe commiſiſſe Archidiacono, & Archipresbytero Lucenſibus, ſuſpendere ab officio contumaciter aduerſantes.

45. Eiuſdem Innocentij canonicis S. Frigdiani, quibus condolet de morte Attonis Prioris, cuius ſubtractione ſibi cum canonicis maiora conſilia ſint ſubtractá, dicit illius vitam coram Deo, & hominibus laudabilem extitiſſe, congaudet de electione Hieronymi Prioris vnanimiter per illos facta in hac epiſtola multá deſunt.

46. Eiuſdem Innocentij. meminit translationis Reliquiarum S. Riccardi. nõ poteſt benè legi.

47. Eiuſdem Innocentij ad Archidiaconum Lucenſem. mandat quoſdam presbyteros in Eccleſia S. Saluatoris Priori S. Frigdiani nolentes obedire, ab officio remouere, & etiam à beneficio, donec pareant.

48. Eiuſdem Innocentij Signoreto Presbytero, & ſocijs, quibus præcipit obedire Priori S. Frigdiani, & eius Fratribus pro Eccleſia S. Saluatoris illis conceſſa, cum omnibus ſuis appendicijs.

49. Priori, & canonicis S. Angeli in Foro. prohibet prædictos, & eorum Parochianos vexare canonicos S. Frigdiani occaſione prædictæ Eccleſiæ S. Saluatoris: *Solicitè*, inquit, *præcauentes, ne in pœna illis ſitis conſortes, quibus in maleficio eſtis conſentientes,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſentientes: facientis enim procul dubio culpam habet, & qui quod poteſt corrigere, negligit emendare.

50. Eiuſdem Innocentij Hieronymo Priori, cui electo Epiſcopo Aretinæ Eccleſiæ mandat obedire, & ſuſcipere regimen, ad quod Domino diſponente, vocatus fuerat.

51. Eiuſdem Innocentij ad canonicos S. Frigdiani, quos monet, vt Hieronymo Priore in Epiſcopum electo, de alio prouideãt, & vt in tali prouiſione modum ſeruent, & eligendi conditiones attendant: *Vnanimes,* inquit, *ſitis, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſed Spiritus ſancti gratia inuocata idoneam religioſam. & diſcretam perſonam vobis in Patrem, & Priorem eligatis, per cuius prudentiam, & ſolicitudinẽ Eccleſia veſtra præſtante Domino gratum ſuſcipiat incrementum.*

52. Eiuſdem Innocentij Priori, & Fratribus S Frigdiani. Congaudet ſuper electione Prioris, vtpotè perſonæ ſapientis, & honeſtæ, quem monet, tanquam Patrem affectione præcipua diligere, & honorare, & tanquam animarum ſuarum cuſtodi obedientiam, & reuerentiam exhibere. monet etiam Priorem illius officij: *Commiſſum,* inquit, *tibi regimen, & curam ipſius Eccleſiæ cum ea diſcretione, & ſolicitudine adminiſtrare ſtudeas, vt regularis vitæ obſeruantia ibidem ad honorem Dei, & animarum ſalutem conſeruetur, & ipſa Eccleſia tam tẽporaliter, quam ſpiritualiter ſub tuo regimine, præſtante Domino, augeatur.*

53. Eiuſdem Innocentij ad prædictos, quorum vitæ ſanctitatem commendat, & hortatur ad perſeuerantiam. Oſtendit, ſe illorum Eccleſiæ, & perſonarum curam, & ſolicitudinem præcipuam gerere: *Nos autem, ait, perſonas, & locũ veſtrum in Domino Charitate diligimus, & in omnibus ſecundum Deum iuuare, & manutenere volumus.*

54. Eugenij III. ad Priorem, & Fratres S. Frigdiani, quibus ſignificat ſuam electionem ad Põtificatum, apud quos petit pro tanto regimine in eorum orationibus ſpecialiter commendatum haberi.

55. Eiuſdem ad Epiſcopum Lucenſem, queritur, mandatum ſuorum prædeceſſorum Pontificum ſuper Eccleſia S. Saluatoris per Priorem, & Fratres S. Angeli non fuiſſe obſeruatum. præcipit Epiſcopo, vt illud faciat obſeruari, ſub pœna excommunicationis, & interdicti.

56. Eiuſdem Eugenij ad Epiſcopum Lucenſem, qua canonicos S. Frigdiani in Eccleſiam S. Pantaleonis, quæ erat quorundam clericorum, introducit, & Epiſcopo mandat, canonicos defendere, & in aduerſantes pertinaciter ſententiã excommunicationis promulgare.

57. Eiuſdẽ Eugenij ad prædictũ Epiſcopum, qua de illius negligentia in introducẽdo canonicos S. Frigdiani in dictã Eccleſiam conqueritur. præſcribit tẽpus introductionis, cũ poteſtate ſuſpendẽdi ab officio, & beneficio clericos, & interdicendi ab ingreſſu Eccleſiæ laicos impedientes.

58. Eiuſdem Eugenij prędicto Epiſcopo. Ratam habet excommunicationem de ipſius mandato promulgatam contra inſultum facientes in canonicos S. Frigdiani, & illis aduerſantes.

59. Eiuſdem Eugenij ad Conſules Lucenſes. continet idem, quod in præcedenti.

60. Eiuſdem Eugenij Priori, & Fratribus S. Frigdiani, quos monet de cenſuris inflictis monachis S. Georgij occaſione iniuriarum, & moleſtiarum eiſdem canonicis illatis pro Eccleſia S. Pantaleonis.

61. Ad Abbatẽ, & monachos S. Georgij, qua repetit ſententiam Innocentij pro Fratribus S. Frigdiani ſuper Eccleſia S. Pantaleonis, cuius Parochiam Abbas, & monachi ſibi vſurpabant.

62. Eiuſdem Eugenij ad vniuerſos Chriſti fideles, in qua meminit conſecrationis Eccleſiæ S. Frigdiani per ipſum Eugenium proprijs manibus factæ, ob reuerentiam corporis S. Frigdiani, quod ibi ſeruatur, & Indulgentiarum quadraginta dierum conceſſarum viſitantibus dictam Eccleſiam in die conſecrationis, vel intra illius octauas.

63. Eiuſdem Eugenij ad Priorem S. Frigdiani, cuius præſentiam poſtulat pro reformatione S. Mariæ nouæ cui Priori dictæ Eccleſiæ diſpoſitio commiſſa fuerat.

64. ANaſtaſij IV. ad Epiſcopum, & canonicos V.
Lucenſes, quibus mirificè commendat vitam canonicorum S. Frigdiani, quorum conuerſatione teſtatur homines plurimum proficere; quorum Eccleſiam affirmat per ſuos anteceſſores fuiſſe ſpecialiter dilectam, ſicut ſpecialem filiam, eiuſdem affectus ſe in illã profitetur, ſubdens, ita charos ipſius loci fratres habere, vt qui eos offenderit, Romanam Eccleſiam offendat, & qui tetigerit, pupillam ſui oculi tangat. dolet de iniurijs nonnullorum ex Parochianis in dictos canonicos, qui impetu frangentes portas Eccleſiæ S. Saluatoris de Muſtolio, ſimul perſonas clericorum inhoneſtè tractare voluerunt. dolet de canonicis, qui talem iniuriam neglexerunt. mandat Epiſcopo, quatenus congregato cœtu Eccleſiæ in die ſolemni, candelis accenſis, principales huius malitiæ vinculo excõmunicationis aſtringat, & alios durè corripiat, & ad ſatisfactionem venire compellat.

65. Eiuſdem Anaſtaſij ad Epiſcopum Lucenſem, qua committit, ne permittat, clericos S. Pantaleonis procedere in electione Prioris Eccleſiæ, ſine conſenſu, & volũtate canonicorum S. Frigdiani, nec ipſe in tali electione procedat, hoc enim eſſet auferre ius, quod dicti canonici in eadem electione habere noſcuntur.

66. ALexandri Tertij ad Archipresbyterum, VI.
& canonicos Eccleſiæ Lucenſis, quos reprehendit, aſſerentes publicè corpus S. Frigdiani exiſtere in eorum Eccleſia, vtpotè detrahẽtes Eugenio ſuo prædeceſſori, qui præſentibus

dictis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dictis canonicis, Epiſcopo, & vniuerſa penè Ciuitate Corpus B. Frigdiani proprijs manibus cõtrectauit, & in altari, quod ipſemet dedicauit, fecit recondi. ſtatuens, ne de cætero tale quid amplius dicant, neuè more ſolito feſtum S. Frigdiani ſolemnius celebrent, & prohibeant clericis, vel laicis viſitare Eccleſiam S. Frigdiani more ſolito in præcipuis ſolemnitatibus: ſed in his ita canonicos S. Frigdiani iura, & honores ſuos ſeruare permittant, vt non habeant vlterius aduerſus ipſos materiam querendi. addit, ſe Priori, & canonicis S. Frigdiani in mãdatis dediſſe, vt in die dedicationis Eccleſiæ Lucanæ feſtum B. Abrahæ nullatenus celebrent, ſed alio die magis congruo.

67. Eiuſdem Alexandri ad Priorem, & canonicos S. Frigdiani. ſtatuit, vt ſi quando canonici Lucenſes à ſe falſa ſuggeſtione impetrauerint, quæ priuilegijs illorum ab Apoſtolica Sede indultis derogare noſcãtur, ea ipſis nullum poſſint præiudicium generare.

68. Eiuſdem Alexandri ad diſpenſatores rerũ cuiuſdam Cardinalis, per quam abrogat Legatũ prædicti Cardinalis, quo libros nepoti ſuo legauerat; *Quia, inquit, iſte ſe, & ſua iampridem S. Frigdiani Eccleſiæ tradiderat, libros, quos habebat, inconſulto Priore, & Fratribus alij dare non potuit*, & mandat, vt libri, quos habebat, quando factus eſt canonicus, & Eccleſiæ obtulit, & alij, qui poſtmodum ei de præſcripta Eccleſia miſſi ſunt, memorato Priori, contradictione, & excuſatione ceſſante, cum integritate reddantur.

69. Lucij Secundi Priori, & Fratribus S. Frigdiani. ſtatuit, vt non teneantur ad inſolita grauamina impoſita Eccleſiæ S. Martini Senenſis ab illius Priore, præfato Priore, & Fratribus S. Frigdiani inconſultis.

70. Eiuſdem Lucij Secundi, in qua tandem nihil memoratu dignum continetur. Alia plurima memoria digniſſima extabant in Archiuis dictæ Eccleſiæ S. Frigdiani, quæ anno 1596. incendio perierunt.

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

De fundatione monaſteriorum S. Mariæ Gratiarum Caſtri Vineolæ, S. Mariæ ad Parietem propè Ciuitatem Nolanam, & S. Benedicti Cremæ.

1. SVb Pontificatu Beatiſſimi Patris Leonis Papæ Decimi fundatũ fuit monaſterium canonicorum noſtræ congregationis propè Caſtrum Vineolæ, in Epiſcopatu Mutinenſi, largitione, munificentiaque Illuſtr. & R. adm. D. Iacobi de Murenis nobilis Mutinenſis, & Mutinenſis Eccleſiæ Præpoſiti, qui ſub finem vitæ ſuæ omnium ſuorum bonorum hæredes inſtituit monaſterium, & canonicos ſanctiſſimæ Trinitatis Mutinæ, totamque congregationem canonicorum regularium Lateranenſium, adiecta conditione, vt infra tres annos, à die mortis illius computandos, in palatio, ſeu viridario, quod ille habebat propè dictum Caſtrum Vineolæ, monaſterium, & Eccleſiam ſub inuocatione, ſiue titulo Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis erigere deberent, ac in eo Præpoſitum vnà cum quatuor canonicis, & duobus Conuerſis, perpetuò ibidem manſuros, conſtituere, qui iuxta mores, obſeruantias, & laudabiles conſuetudines dictæ congregationis gratũ Deo famulitium exhiberent. Confectæ ſunt tabulæ Vineolæ in domo reſidentiæ, & ſolitæ habitationis eiuſdem Domini teſtatoris, quæ poſita erat extra Caſtrum, propè foueam in loco nuncupato, Villa Moreniana, anno Domini 1513. indictione prima, die quinta menſis Septembr. per Beltramolum filium quondam præſtantiſſimi viri Domini Antonij de Balbis de Laude, nũcupati de Catancis, de Vignola, publicum notarium, præſentibus Illuſtri, & potente Domino D. Vgutione de Contrarijs quondam magnifici Domini Antonij de Contrarijs de Ferraria, inſigni, & generoſo Equite, & Comite Vineolæ, nec non Ven. P. D. fratre Baptiſta quondam D. Balthaſaris de Corteſijs, de Mutina, Ord. S. Franciſci de Obſeruantia. Ven. P. D. fratre Dionyſio quondam Antonij de Breſſanis, de Caſali maiori, eiuſdem Ordinis, Dom. Alphonſo quondã Ludouici Paulucij de Ferraria Secretario præfati Illuſtris Comitis Vgutionis, eximio artium Doctore D. Nicolao quondam N. de Montagnana, de Ferraria Medico Vineolæ, Dom. Sebaſtiano quondam Ioannis de Cauazuris presbytero Mutinenſi, & Ioanne Iacobo filio Vincentij de Roſſettis de Coregio clerico. Quo quidem Domino teſtatore vita functo, Prior monaſterij Trinitatis Mutinæ ſuo, & ſuorum canonicorum, & totius congregationis Lateranenſis nomine, illius hæreditatem corporaliter adiuit, ſtatimque monaſterium cum Eccleſia ſub titulo Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis in eodem Palatio, & viridario ædificauit, & Patres noſtræ congregationis vnum Præpoſitum cum quatuor canonicis, & duobus Conuerſis iuxta diſpoſitionem prædicti Domini teſtatoris ibidem poſuerunt, primuſque loci Præpoſitus fuit Ven. P. D. Auguſtinus de Bononia.

Manſerunt autem in eodem monaſterio Præpoſitus, & canonici præfati vſque ad annũ 1557. quo Domini de Contrarijs, dicti Caſtri Marchiones ad illud muniendũ monaſterium cũ alijs multis ædificijs, & Burgis Caſtro adiacentibus, euerterunt. Ex quo tempore dicti Præpoſitus, &